



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXVII. Vtrum prouidentia Dei sit formaliter vniuersalis, circa singula
creata?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO XXVII.

Virum prouidentia Dei sit formaliter vniuersalis circa singula creata?

VIDETUR non esse necessariò vniuersalem formaliter circa singula, sed posse de singulis statuere Deum per singula seorsim decreta virtualiter intrinsecè inter se distincta. 1. Quia singula res creatæ habent suam peculiarem vnaquæque bonitatem, & amabilitatem, nec non imperfectionem, & contemptibilitatem. Ergo vnaquælibet est amabilis, & contemptibilis à Deo seorsim per decretum minimè comparatum eiusdem cum cæteris rebus omnibus. Id quod locum maximè habet respectu substantiarum rationalium quarum videlicet vnamquamque diligit Deus ratione sui, & tamquam finem vltimum creatum, atque immediatè subordinatum fini vltimo, qui est ipse Deus. Hinc enim fit, vnamquamque substantiam rationalem esse diligibilem seorsim à Deo, absque ordinatione eius positina, velnegatiua ad aliquid aliud, præterquam ad ipsum Deum.

2. Ad vniuersalitatem obiectiuam, & ad perfectionem formalem prouidentia Dei, sufficit Deum liberè decernere, atque in alterutram partem determinare omnia possibilia decretis realiter inter se identificatis, & habentibus vnitatem realem; tametsi multiplicia sint virtualiter intrinsecè. Quia identitas realis non est minor identitas, aut minùs perfectiua mutuo suorum extremorum, quàm identitas virtualis intrinseca. Ergo ad vniuersalitatem absolute, & simpliciter perfectam, & summè perfectam, non est necessaria vniuersalitas formalis constituta per decretum virtualiter intrinsecè simplex circa omnia creata.

3. Libertas Dei est maior, & expeditior, si possit statuere circa res creatas, tum de singulis seorsim, tum de omnibus, aut aliquibus coniunctim, prout libuerit; sicut est liberior circa suas pecunias, qui potest donare, aut quomodolibet impendere illas, tum coniunctim, tum diuim, quàm qui disponere nequit, nisi vnica vice de tota summa. Libertas autem Dei est summa, & prædita omni perfectione sui generis absolute possibili. Ergo potest prouidere rebus creatis, vel singulis seorsim, vel omnibus aliquibus coniunctim, prout libuerit, neque vlla cogitur necessitate, vt vno impetu feratur in omnia, quin aliter ferri in illa possit.

4. Aliquæ res creatæ dependent ab aliis rebus creatis, tanquam à causis suis, tum physicis, tum moralibus; ideoque decernuntur à Deo extituri, & executioni mandantur priores effectus dependentes à præmissione absoluta posteriorum effectuum. Nec enim fieri potest, vt vna res creata dependeat ab alia re creata, quin præmissio, & volitio efficax Dei de vno suo effectu dependeat à præmissione, & volitione sua efficaci de alio suo effectu. Quia ordo effectuum in se dependet ab ordine eorundem in causa vtriusque effectibus, prioribus, & posterioribus communi. Datur igitur in Deo multiplicitas, & ordo volitionum, & præmissionum virtualiter intrinsecè distinctarum.

Art. 1. Respondetur. Tametsi ex dictis supra de constitutione, natura, & mutua habitudine actuum liberorum Dei, satis innotescat per se de indiuisione

virtuali intrinseca ipsorum; cogimur nihilominus, vt aliquid ea de re superaddamus propter nimiam in plerisque auctoribus modernis aueritatem multiplicandi sine fine actus liberos Diuinos priores, & posteriores inter se, & neccendi series signorum naturæ virtualiter in eisdem; atque inuoluendi potius, quàm illustrandi non pauca mysteria nostræ fidei, & documenta communia Sanctorum PP. eiusmodi partitione actuum, & signorum constituta, vt libet, vel prout expedit ad tuendum positum; quasi verò tales essent in se intrinsecè actus Diuini, modulque operandi Diuini, quales sunt cogitationes nostræ, nosterque modus cognoscendi Diuina dependentes ab obiectis creatis, & per species proprias ipsorum. Quod vti superficie tenus pulchrum, & placidum est; ita intimius consideranti vanum proflus est, nec traditur absque magno incommodo alienante animum à legitima, & supra res creatas infinite eleuata apprehensione, & æstimatione Diuinorum. Quod ego præloquor, præter morem, penitentia tactus. Peccauit enim etiam ipse per plures lecturæ annos, vacui, & inani eiusmodi partitionum, & signorum suggestionem, eaque, & me, & scholares meos implicui nonnihil cum iactura temporis, & cum existimatione illegitima de modo operandi Diuino.

Art. 2. Dicendum itaque est re maturius considerata prouidentiam Diuinam circa res creatas omnes, & singulas constitui adæquate vnico decreto non solum realiter, sed etiam virtualiter intrinsecè indiuisibili, omnemque multipliciter actuum Diuinæ prouidentia apparentem intellectui nostro fundari in reali multiplicitate, & varietate rerum creatarum, circa quas illud versatur, non verò in natura terminationis liberæ Diuinæ secundum se, & vt est in se intrinsecè; vtpotè incapacis plurium formalitatum sibi inuicem coexistentium ita mutuo distinctarum, sicut distinguuntur inter se Personalitates Diuinæ; & essentia Diuina; Paternitas, & Filiatio ex vna parte, & virtus spiratiua ex alia; ac demum terminationes ipsæ liberæ Dei, & prædicata eiusdem necessaria. Itaque decretum Diuinum, seu positium, seu negatiuum circa quamlibet rem creatam singularem est essentialiter, & indiuisim comparatum eiusdem cum omnibus, & singulis aliis rebus absolute possibilibus, indiuisim determinans de collectione omnium per se ipsum, non minùs, aut aliter, quàm determinet per se ipsum de illa vna re singulari. In hanc sententiam inclinant præcipue sacræ paginae testimonia exprimentia perfectionem, & naturam prouidentia Dei. Illud in primis præ cæteris illustre productum in quæst. præced. ex libro Sapientia: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, efficaciter persuadet intentum. Inde enim fit, Deum nihil constituisse, nullaue de re quidquam determinasse, nisi mensurando, numerando, & ponderando omnia. Qui autem numerat aliquam collectionem, tum demum totam exaurit, quando omnia, & singula eius indiuisiua vnico, & indiuisibili actu attingit. Similiter ad rationem mensuræ, necessaria est comparatio indiuisim attingens ea, quorum magnitudo, & mutus excessus exploratur per mensuram. Denique, quòd omnia in pondere constituta esse dicuntur, eandem veritatem insinuat haud obscure. Ea namque, quorum pondera expendantur, & contraponuntur mutuo, necesse est, vt simul atque indiuisim appendantur in statera. Omnia ergo constituit Deus per suam prouidentiam actu intrinsecè, & formaliter comparatiuo singulorum cum reliquis omnibus ad eum modum, quo diuisio, & compositio intellectus nostri fertur indiuisim ad subiectum, & prædicatum absque vlla intrinseca formalitatum diuersitate ex parte actus, tametsi extrema propositionis sint inter se realiter

realiter distincta. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram c. 3. obseruat duo circa hunc locum, Alterum est, quod omnia creata in numero constituta sint, (eademque est ratio de mensura, & pondere) illis conuenire ratione actus, quo Deus existentiam illorum sancit. Alterum est, istam prouidentiam Diuinam commensurationem circa ea, quæ dantur de facto, subintelligendam esse circa quamlibet aliam rerum constitutionem absolute possibilem. Quia prouidentia Diuina potuit habere aliam materiam, circa quam versaretur; aliud tamen meritum, & dignitatem laudis habere minime potuit, nec enim fieri potuit, ut Deus esset minus in se laudabilis, atque æstimabilis, quam iam est; quapropter titulus laudis, & perfectionis peculiaris attributus prouidentie existenti de facto non extrinsecè ex parte materiae, sed ex modo intrinsecò, quo circa eam versatur, in nullo alio rerum ordine deesse potuit. Necesse igitur est ex natura ipsa rei, ut quidquid prouidentia Diuina statuerit, statuatur omnia mensurando, numerando, ponderando, atque adeò inuicem comparando, & indiuisim attingendo.

Art. 3. Eadem ponderatio aequè cadit in illud Ecclesiastici 1. 9. *Ipsè creauit illam (sapientiam) in Spiritu Sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est, & effudit illam super omnia opera sua.* Effusio ergo sapientie super omnia opera idest, communicatio eius perfectionis, & ordinis respectu cuiusque, quæ in sapientia prælucebat, facta est dinumerante, & metiente Deo eadem omnia sua opera. Quod fieri non potest absque actu omnia inter se conferente, & attingente singula quæque relatè ad cætera omnia. Quod ipsum clariùs quodammodo ponit ob oculos Sapientia genita prouidentiorum 8. 30. dicens: *Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo erant cuncta componens.* Compositio enim non est operatio statuentis vnumquodque seorsim, sed conferentis vnumquoduis cum reliquis omnibus, & singulis, actu omnia complectente indiuisim. In ista singulorum cum reliquis omnibus compositione, & minimorum cum maximis, primorum cum ultimis, atque cum mediis comparatione, fundatur præclara laus prouidentie Diuinæ, quæ habetur Sapientia 8. 1. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Idem enim Deus mirificè deuincit mutuo fortitudinem, & suauitatem, quia in vniuscuiusque rei productione, atque in suum finem directione spectat harmoniam, & consonantiam eius cum reliquis omnibus, & quia præmunit fortitudinem, seu infallibilitatem, qua vnumquodque in finem sibi præstitutum deueniat, suauis dispositione, qua reliquis omnibus debito, ac congruo ordine inseritur.

Art. 4. Multus est Dionysius, tum sæpè alias, tum maxime c. 9. de Cœlesti Hierarchia, in commendanda vnitatem, & vniuersalitate ista formali prouidentie Diuinæ circa singula. Aliquanto enim post medium capituli: *Vnus est, ait, omnium principium, vna prouidentia*, paucisque interiectis subdit: *Vna quidem est de omnibus Altissimi prouidentia*; & ad finem capituli concludit: *Apertè, planeque docemus vnā esse ad omnia pertinentem prouidentiam.* Sermone autem esse Dionysio de vnitatem, non solum reali, quamquam eam intendit præcipue, sed etiam de virtuali, qualis à nobis intenditur, tribus argumentis colligitur efficaciter: Primò, quia eandem statuit vnitatem prouidentie, atque principij. Principium autem rerum creaturarum, ut distinctum ab actibus liberis prouidentiam constituentibus, nempe essentia, seu omnipotentia Dei, est formalitas virtualiter intrinsecè indiuisibilis, ut constat ex quæst. 4. Secundò, quia constituta vnitatem reali principij, nemini obscura esse poterat vnitatem realis prouidentie, ut in ea specia-

liter stabienda tantopere distineretur tantus Doctor. Tertiò, quia c. 8. proxime præcedenti luculenter, & pulchrè docet, Deum decernere vniuscuiusque rei existentiam habito respectu ad omnes alias, & attenta eius dignitate respectu reliquarum, eademque electa formaliter, ut conducenti ad pulchritudinem vniuersi. Sub quibus rationibus patet, vnamquamque creaturam includere, in intentione, & præuisione sui, omnes alias, quæ existunt, & exclusionem cæterarum. Vnde post medium capituli: *Iustitia Dei laudatur, ait, quod sua cuique pro dignitate tribuat, quod modum, pulchritudinem, ordinem, ornatum, omnesque distinctiones, & ordines termino, qui verè acquiruntur est vniuique desinatur.* Demum c. 7. prope finem vrget venisse, & efficaciter intentum nostrum, dum vniuersaliter formalem artis Diuinæ exprimit in hunc modum: *Omnium est artifex, & semper omnia componit, & estque causa indissolubilis coherentie, & ordinis omnium, sineque priorum cum sequentium principij semper connectit; & vnā vniuersi conspirationem, concentumque pulcherrimè efficit.* In qua perfectò sententia, pro confirmatione nostræ, soli desiderari possunt termini scolastici, qui tamen ineptè desiderantur, ubi res eadem sub diuersis verbis clarissimè subluceat.

Art. 5. Audiendus quoque est Augustinus c. 6. de Bono Viduitatis ad illud Genesi 1. fine: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Vbi præmissis aliis in rem præsentem peridoneis, concludit sic: *Ideo fecit Deus omnia, & ecce valde bona; non tantum bona, sed etiam valde bona, non ob aliud, nisi quia omnia.* Cum ergo ratio, valde boni, vniuique competat ex coniunctione cum reliquis; habet Deum velle vnumquodque non secundum se seorsim, sed coniunctum cum reliquis: tum quia ratio ista, valde boni, descendit in quemuis effectum Diuinum ex prouidentia eius causatiua; tum quia eandem rationem, valde boni, intendit Deus necessariò in omni suo actu, & opere, ut pluribus, & auctoribus, & rationibus ostendit Montoya disput. 9. & 10. de Volunt. Dei, & à nobis licet paulò aliter explicabitur, & confirmabitur quæstione sequenti. Eadem hæc ponderatio congruit Nazianzeno dicenti Oratione 1. de Paschate: *Vidit Deus vniuersi concretionem, & coagmentationem, laudabilem illam quidem ob singularem partium elegantiam; verum laudabiliorem ob eam, quæ ex vniuersis exiit concinnitatem atque concordiam.* Apertius eadem suffragatur sententia S. Clemens Romanus l. 8. Recognit. pag. 4. Dicit enim de prouidentia Dei, quod *generalis, & specialis partium simul hoc modo est quasi, &c.* Istum ianctor. P. P. sentium promouet Capreolus variis Diu. Thomæ testimoniis, & rationibus in 3. distinct. 1. quæst. 1. art. 3. Distincti tamen idem docent Okam in 1. distinct. 9. q. 3. & Gabriel in 3. distinct. 2. quæst. vnica dub. 3. & distinct. 19. q. vnica ar. 2. conclus. 4. negantes omnem inter actus liberos Diuinos distinctionem, præterquam extrinsecam, & rationis penes connotata creata.

Art. 6. Ratio huius doctrinæ desumitur ex dictis supra de motiui intellectus, & voluntatis Diuinæ. Dictum nimirum est, essentiam Diuinam, quæ secundum se, & secundum omnia prædicata absoluta, & necessaria, est expers omnis distinctionis virtualis intrinsecæ, esse motiuium adequatum, & vniuersale vtriusque, quoad omnes actus intelligendi, & volendi; atque omnia creata esse obiecta purè materialia in ratione motiui, solumque terminatiua formaliter. Qui autem fertur in plura, siue per intellectum, siue per voluntatem sub vnico motiui indiuisibili illis omnibus communi, & ad eadem omnia indiuisim vniuersaliter moueti, necesse est, ut ad illa omnia simul atque

atque indiuisum feratur actu nō min⁹, aut aliter vno, & indiuisibili, atque est vnum, & indiuisibile ipsum motuum. Nempe obiectum purē materiale nullam prorsus causalitatem exercet circa actum, quem terminat, nullumque proinde praedicatum inducit in illum visum. Ergo neque distinctionem, & ordinem, aut vllam alicuius generis multipliciter inducit vi sua praesens. At neque motum ex se, & in se, tūm realiter, tūm virtualiter omnino, & perfectē simplex, illam inducere valet in actu non min⁹ capaci eiusdem vniuersalitatis, & simplicitatis ex conceptu suo, & ex magnitudine suae perfectionis, vti profectō est capax omnis actus Diuinus, vtpotē identificatus cum Diuinitate, ideōque habens Diuinitas, & tantundem illam habens, quantum habet ipsa Diuinitas; ita vt non min⁹ perficiatur per illam, quā perficitur ipsa Diuinitas. Nulla igitur est causa, vnde proveniat vlla distinctio, seu realis, seu virtualis intrinseca in actibus liberis Diuinis inuicem compossibilibus ex parte obiecti materialis; atque ideō nulli duo actus liberi Dei virtualiter intrinsecē distincti sibi inuicem coexistere possunt, sed vnus quilibet actualiter existens, seu ex suppositione, quod existat, necessariō fertur indiuisum in omnia, & singula contingentia; sicut volitio Dei necessaria fertur simul, atque indiuisum, absque vlla multipliciter virtuali intrinseca, ad omnia absolute necessaria.

Art. 7. Accedit omnia creata, quoad omnia sua praedicata absoluta, & relatiua, & quoad omnes combinabiles ipsorum innotescere Deo perfectē, & comprehensiuē, antequam quidquam liberē determinet circa illa; atque ideō proponi Deo simul cum eligibilitate absoluta cuiusque rei creatae eligibilitatem comparatiuam, & relatiuam eiusdem respectu omnium, & singulorum aliorum absolute possibilium. Ergo non solum possibile est, vt Deus simul atque indiuisum feratur ad omnia, & singula absolute & comparatiuē sub omni comparatione, & relatione absolute possibili; sed etiam necesse est, vt ita, & non aliter feratur ad illa. Patet consequentia. Quia sicut necesse est, vt existente, pro priori natura, indifferentia voluntatis proximē electiua circa aliquid, sequatur pro posteriori electio, & determinatio ad alterutram partem: ita necesse est, vt sequatur electio, & determinatio secundum omnem rationem, secundum quam propositum fuerit obiectum indifferenter. Ergo cui simul proponitur obiectum per intellectum, quoad conceptum omnem relatiuam, & comparatiuam cum reliquis omnibus, & singulis, eo ipso imposita erit necessitas eligendi, vel reiciendi vnamquamque rem non solum absolute, & secundum se, sed etiam comparatiuē, & relatiuē, per electionem determinatiuam indiuisum coniunctionis, aut separationis inter tale obiectum, & inter omnia alia, & singula, tam absoluta, quā modalia, cum quibus coniungi, & à quibus separari absolute potest.

Art. 8. Accedit rursus, artificem (quod exemplum suggerebat Dionysius supra respectu Dei) non prudenter, & perfectē operari, si determinet seorsim, secundum se de vna aliqua parte sui operis, quin simul circumspiciat, & complectatur animo reliquas omnes partes, earumque inter se, & cum illa vna coherentiam, & consonantiam perfectē congruentem. Si enim pictor determinet de magnitudine, & loco oculi, vel manus; quin simul determinet de magnitudine proportionali ceterarum partium, earumque situatione, & situabilitate in tela operi subiecta: haud quaquam satisfecerit perfectioni artis. Eadem est ratio de architecto determinante seorsim de porta, aut fenestris, aut sculis, aut de aliqua alia parte domus, deque earum magnitudine, nihil inte-

rim determinando de reliquis partibus, & de omni mutua inter se correspondentia. Eadem quoque est de belli Duce, & musicæ praefecto ratio, si vel ille centuriam aliquam in colle, vel in planitie collocet cum talibus determinatē armis, & instructione, vel iste notas tales tradat vni musico; quin cogitent, ac simul determinent de reliquis omnibus partibus exercitus, & chori. Cum ergo Deus sit supremus artifex, & gubernator totius rerum vniuersitatis, ad quem spectat dispositio, & ordo vniuscuiusque rei relatē ad omnia alia, & singula absolute possibilis: vitare non poterit vitium imperfectae, & dissonantis prouidentiae, si vno aliquo suo actu determinet circa aliquid creatum, & interim differat determinationem circa reliqua faciendam per alium, vel alios deinde actus. Quod quidem quinis facile, & clarē percipiet, si cogitet Deum determinantem per vnum suum decretum de producendo oculo, ore, vel manu, vel aliqua alia parte corporis humani, quin per idem decretum determinet quidquam de reliquis partibus eiusdem corporis. Spectat autem ad Deum coherentia, & ordo omnium partium totius vniuersi per omnes differentias temporum, & locorum, non min⁹, quā ordo, & coherentia partium; quibus cōstat vnumquodque compositum naturale. Tam ergo dissonum, & chimæricum est, atque repugnans perfectioni Diuinæ prouidentiae, vt non determinet vnico actu virtualiter intrinsecē indiuisibili de omnibus, & singulis partibus totius rerum absolute possibilium vniuersitatis, quā est chimæricum, vt pluribus decretis virtualiter intrinsecē distinctis feratur in singulas seorsim partes vnus compositi naturalis.

Art. 9. Accedit denique Deum neque posse habere plures actus liberos virtualiter intrinsecē distinctos purē concomitantes, seu quorum neuter sit prior, aut posterior natura virtualiter intrinsecē, quā alius; neque inuicem ordinatos, cum causalitate virtuali intrinseca aliorum in alios. Repugnant enim in primis actus Diuini purē concomitantes mutuo: tum quia inde fieret, dari in Deo aliquid, quasi fortuito, & à casu respectu ipsius Dei, nempe coexistentiam eorum actuum; quā videlicet per neutrum illorum formaliter vellet, & eligeret; tum quia quilibet actus liber Diuinus est tam perfectus, quā perfectus est actus necessarius Dei circa se, cum vterque sit perfectus tota perfectione Diuinitatis, eaque tantundem vtrique communicata; ideōque sicut actus necessarius Dei, ratione suae perfectionis, nullam indifferentiam habere potest respectu cuiusquam, aut actus, aut obiecti, praeterquam actiuam, & electiuam; ita actus quilibet liber Dei solam posset habere indifferentiam actiuam, & electiuam respectu cuiusvis alterius actus, & obiecti; qualis tamen esse non posset, vt patet, respectu actus purē concomitantis. Quae ratio (vt hoc quoque obiter notem) conuincit, scientiam mediam adaequatē sumptam esse directiuam, & virtualiter intrinsecē causalitatem omnis liberae determinationis Diuinæ, circa omnia, & quaelibet obiecta creata. Quia scientia media adaequatē sumpta est indifferens ex se ad existentiam, & non existentiam absolutam omnium, & quarumlibet rerum creaturarum compossibilium secum, atque ad omnem liberam determinationem Diuinam, circa ipsas, & non potest esse indifferens indifferentia purē passiuā, seu negatiuā, sed sola indifferentia actiuā, & electiuā, ob rationem modō datam.

Art. 10. Venio iam ad alteram partem de distinctione actuum cum ordine prioris, & posterioris, & ostendo illum repugnare. Et quidem actus natura prior non poterit imperare, ac inducere omnino determinatē actum natura posteriorem, vt liquet ex dictis quaest. 22. praesertim art. 7. Sed neque disson-

ctius

alius, & indeterminatus esse potest ullus actus liber Diuinus. Quia modus tendendi disiunctiuus circa media, præsupposita intentione efficaci finis, est proprius nondum habentis cognitionem perfectam mediorum, idèdque notabundi, quod cui præferat. Quod in Deum cadere non potest, vtpote præhabentem scientiam comprehensiuam omnium rerum possibilium, nec non euentuum omnium contingenter futurorum dependentem à qualibet causa, si ponatur à parte rei. Hæc enim omnia comprehenduntur perfecte à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, cuius antecessio ante omnes actus liberos Diuinos, est in confesso apud omnes; & per scientiam mediam, quæ etiam ipsa eosdem omnes actus antecedit, vti nuper concludum est ex communi consensu auditorum, qui tuentur eius existentiam in Deo. Quid igitur expectet Deus pro capeffendo ultimo consilio, & qua vtilitate, aut quo decentiæ genere pederentim procedat, prius disiunctiuè, deinde determinatè de iisdem rebus prius, & posterius æquè benè sibi notis, ac præsentibus determinans? Profectò hic modus agendi non modò Deum non decet, verum nec decet hominem bene peritum mediorum ante primam electionem disiunctiuam. Censeretur enim ineptus, qui volens iter agere, & præditus noticia perfecta duorum equorum, qui sibi offeruntur, prius diceret: Volo alterum ex his duobus equis; & deinde absque vlla noua noticia: Volo hunc determinatè. Quid nì igitur id ipsum sit ineptissimum respectu Dei? respectu cuius militat alia insuper ratio specialis ineptitudinis; nempe, ne partialiter quidem moneri possè ad electionem priorem, vel posteriorem, bonitate obiectorum, inter quæ versatur electio, & vltima determinatio. Excludenda igitur omninò est à Deo omnis eiusmodi distinctio, & series diuersorum actuum liberorum; vtpotè propria, tum intellectus minimè comprehensiuus omnium, tum voluntatis capacis multiplicis motui, ac demum propria eligentis, commodus determinantis, primùm confusè, & vagè, deinde distinctè, ac determinatè, & vel operantis prudenter in eum modum, propter defectum perfectæ cognitionis in principio, vel ineptientis, ex assuetudine operandi cum eiusmodi imperfectione cognitionis.

Ad 1. Res creatæ, siue rationales, siue irracionales habent suam vnaquæque bonitatem, & amabilitatem peculiarem purè terminatiuam; motiuam tamen nullam habent peculiarem respectu Dei, vt dictum est supra; sed tota vis motiua præexistit in essentia Dei simul, atque indiuisim mouentis ad omnia, & ad mutuum omnium ordinem inter se. Quod est proprium motui essentialiter vniuersalis, vt mouentis agens itidem vniuersale essentialiter. Nulla igitur est ratio multiplicandi actus Diuinos ex multiplicitate eligibilium creatorum, & non eligibilium, respectu Dei, nisi cum ordine simul, & coherencia vniuersali omnium inter se, & respectu sui ipsius.

Ad 2. Prioritas virtualis intrinseca inter duo prædicata Diuina solùm dissidet à prioritate reali per indistinctionem realem extremorum, inter quæ versatur. Vnde vniuersaliter prædicato Diuino virtualiter intrinsecè priori, respectu alterius prædicati Diuini, tribuenda est ex se omnis ea perfectio in suo genere, quæ necessariò tribuenda esset eidem, si distinguere-tur realiter ab omni alio prædicato Diuino. Aliter enim non erit capax, quod identificetur realiter cum reliquis prædicatis Diuinis. Qua de causa à nemine admittuntur in Deo duæ cognitiones virtualiter intrinsecè inter se distinctæ, circa idem obiectum creatum, vel etiam increatum, quarum alterutra inadæquatè, & præcisè illud cognoscat, & compleatur in ratione perfectæ comprehensionis per alteram. Eadem

igitur de causa admittendus nequaquam est in Deo aliquis actus liber, qui per se ipsum præcisè sit inadæquata solùm prouidentia, circa aliquam, vel aliquas res creatas, earumque referibilitatem, & ordinem inter se, & ad alias omnes res absolute possibiles, quique deinde compleatur per alium actum virtualiter intrinsecè distinctum, in ratione adæquatæ, & vniuersalis prouidentia. Quia hinc fieret, vtrumque actum esse imperfectum ex se, idèdque incapacem identitatis realis cum Diuinitate, & inter se. Male itaque supponitur in objectione, tales actus inadæquatos circa creatas, esse identificabiles inter se, & cum Deo; atque posita nihilominus mutua eorum identitate reali, sequitur quodlibet, nempe esse perfectos, & imperfectos. Quia suppositio est impossibilis, & ex impossibili sequitur quodlibet. Consideretur vltra fundamenta superius posita, exemplum cognitionum inadæquatarum modò propositum.

Ad 3. Libertas Dei ita adstruitur amplissima, vt tamen negetur illi libertas peccandi. Similiter ergò concedenda eidem est eadem amplitudo libertatis, ita vt simul negetur libertas ineptiendi per actus prius disiunctiuos, deinde & terminatos, aut per actus disparatos, & purè concomitanter se habentes; vtpotè repugnans operanti ex solo motiuo essentialiter vniuersali, & ex præcognitione essentialiter comprehensiuam omnium quoad omnia. Deinde Deo non conuenit libertas ad suos actus directè ratione ipsorum secundum se, cum sint summum, & purum bonum: sed solum ratione rerum creatarum, vti supra notatum fuit in hanc eandem rem. Perfectissimè autem, & cum tota amplitudine absolute possibili exercet Deus suam libertatem per vnicum simplicissimum actum, circa res omnes creatas secundum se. Quia determinat de illis omnibus, & singulis quoad omnia, quæ ipsis conueniunt, tum absolute, tum relatiuè.

Ad 4. Dependencia vnius rei creatæ ab alia re creatæ est aliquid creatum incipiens in tempore, & quod existeret non possit, antequam existat ea res, quæ dependet, & ea, à qua dependet. Quapropter ea dependencia, & ordo causalitatis inter res creatas non potest constitui intrinsecè per actus Diuinos, aut per ordinem intrinsecum eorum inter se, vtpotè essentialiter æternos, & quibus repugnat inceptio in tempore. Sufficit ergo, vt Deus per actum, & realiter, & virtualiter intrinsecè indiuisibilem, velit illud prædicatum creatum, per quod intrinsecè constituitur dependencia vnius rei creatæ ab alia re creatæ. Nec enim necesse est, vt Deo volente ignem ab igne procedere, dentur propterea in ipso duo actus, quorum alius ab alio procedat virtualiter intrinsecè, sed potest velle per simplicem tendentiam vtrumque ignem, & alterius ab altero processionem. Similis est ratio de processione, & causalitate morali inter meritum, & præmium; de qua tamen dicitur plusculum infra opportunè q. 31. & iam aliquid superius insinuatum est. Itaque ordo creatus inter res creatas solùm conuincit ordinem rationis extrinsecum per connotata creatæ inter actus Diuinos, similem ordini rationis, qui simili cum fundamento constitutus est inter prædicata absoluta, & necessaria quæst. 5. & 6. Verum ordo iste rationis purè extrinsecus Diuinus propterea à me pensari non habetur, tametsi nonnullis magna sit inde dicendi materia; quia nihil deseruit eius examen, aut ad legitimam, veramque intelligentiam actuum Diuinorum, & Diuinæ prouidentia, vt sunt in se, aut ad verificandas, vel falsificandas propositiones obiectiue causales de iisdem actibus, vel de rebus creatis inter se collatis. Non est nihilominus penitus contemnenda doctrina de eodem ordine rationis purè extrinsecò, quia confert plurimum,

plurimum, vt Diuina commodè apprehendamus, & exponamus ordinatè modo humano, & ad instar rerum humanarum; sed quidquid in hunc scopum desiderari poterit in præsentì, abundè suppeditatum est quæst. illa 5. & 6. Vbi etiam adhibita est præcautio, ne modus noster concipiendi Diuina dependenter à rebus creatis obrepat, & transferatur, vt accidit, non paucis, nec in paucis, ad ipsa prædicata Diuina per confusionem modi concipiendi cum modo intrinseco essendi rerum. Huic humano concipiendi modo attemperat se frequenter circa actus Diuinos sacra pagina, vt apparet ex. gr. ex Pl. 102. 7. *Notas fecit vias suas Moysi; Filius Israel voluntates suas.* Actorum 13. 22. *Qui faciet omnes voluntates meas.* Apocal. 20. 12. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris* (in æterna Dei dispositione) *secundum opera ipsorum.* In quibus, aliisque similibus sola continetur prædicta distinctio rationis purè extrinseca, fundata in multiplicitate obiectorum creatorum, & independentia nostri intellectus ab illis, quoad intelligentiam, & considerationem prouidentia, voluntatisque Diuinæ ad instar nostræ.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum in Deo detur prouidentia inductiua legum naturæ, iisdemque deuincta.



IDETUR non dari. 1. Quia de conceptu legis est, vt inducat rationem debiti. Nihil autem datur in natura, quod inducat in Deum rationem debiti respectu cuiusquam rei conferendæ, vt habetur ex Augustino l. 3. de Libero Arbitrio c. 15. fine, vbi ait; *Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat.* Nullas ergo leges continet in se natura, aut inducit in illam prouidentia Diuina, quibus eadem prouidentia deuincta, ac determinetur ad vnum aliquem effectum potius quam ad oppositum.

2. Lex naturaliter, ac essentialiter indita rebus omnibus creatis hæc est, vt pareant in omnibus, & quoad omnia voluntati Diuinæ, quidquid demum, & quomodolibet ipsa statuerit. Qui enim fieri potest, vt effectus polleat vi adstringendi causam suam, & minuendi, ac impediendi plenissimam illam libertatis indifferentiam, qua factus est? Et qua sapientia operatus fuisset Deus; si ea fecisset, quæ suæ voluntati, & potentia leges darent, & non potius eas acceptarent, & ineluctabiliter exequerentur, quæ sibi imposita essent ab auctore suo? Quod argumentum premittit Augustinus l. 26. contra Faustum c. 3. dicens *Deus creator, conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Nullas igitur leges determinatas inducit prouidentia Dei in hanc rerum vniuersitatem, quibus deinde ipsa etiam Dei prouidentia, & voluntas teneatur, atque ligetur.

3. Antequam quidquam Deus conderet, nihil creaturis vlla lege debebat; sed omnia fecit cum plena, & perfecta libertatis in vtramque partem indifferentia, vt patet ex quæst. 20. Nec enim erat, cui aliquid deberetur, antequam quidquam factum esset, vt rectè pronuntiat Augustinus c. illo 15. de Libero Arbitrio, & ex eo argumentatur D. Thomas 1. contra gent. c. 81. Ergo neque debet quidquam alicui Deus post productionem rerum creatarum. Patet

R. P. Eschaz. Curs. Theol. Tom. I.

consequentia. Quia, qui nihil cuiquam debet, non potest reddi debitor vterioris beneficentiæ per solam alicuius doni collationem purè liberalem. Aliàs liberalitas foret onerosa largitori munerum purè liberali; & accipiens absque vlllo iure accipiendi, per solam acceptationem secundum se, etiam libertatis expertem subderet sibi donatorem iure contra ipsum acquisito, quod illum volentem nolentem traheret ad vberiore largitionem. Quam vtriusque iniquissimam conditionem lumen rationis sponte sua auersatur. Ergo Deus neque ante omnem productionem creaturarum, neque post aliquas productas vllum debitum incurrit, aut lubest alicui legi determinanti ipsum ad aliquid, vel primitus faciendum, vel postea superaddendum.

4. Deus potest vertere in nihilum totum hoc vniuersum eadem facilitate, & cum eadem plenitudine libertatis, qua potuit illud non condere, atque adeo leges, si quæ illi insunt, potest, quandocumque libuerit, penitus abolere, vt liquet ex illo Sapientia 11. 23. *Quoniam tanquam momentum statera, sic est ante te Orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram;* hoc est, tam facillè totum vniuersum annihilare potest Deus, quam facillè voluit statera in vtramvis partem leuissimo quouis impulsu, & quàm facillè exsiccatur ad radios solis, & vanescit in auras guttula roris. Qui autem tam facillè, & cum tanta indifferentia annihilare potest vniuersum, nullis profecto legibus in eo contentis subest vlla ex parte. Nulli namque iuri subest, aut legibus, qui fundamentum iuris, & legum, ipsumque ius, & leges sola sua voluntate abrogare, & tollere potest simul cum termino iuris, & legum, vt patet ex quæst. 16. de iustitia. Nullis ergo naturæ legibus subest prouidentia Dei.

5. Corpora Cælestia, quæ sunt omnium præstantissima inter omnia irrationalia, nullam habent existentiam determinatam, nullasque proinde leges continent in se, vt prosint potius, quàm noceant rebus sublunariis, & sibi inuicem. Quia nulla eiusmodi exigentia, aut lege intrinsecè determinantur, vt moueantur potius, & circumagantur, quam vt quiescant; aut vt velociter moueantur potius, quàm lente; ac demum, vt progrediantur potius, quam vt retrogrediantur: sed pendent cum totali indifferentia ex parte sui, à libera voluntate, & impulsu Angelorum mouentium, vel non mouentium, & mouentium sic, vel aliter pro libito, vt fert communis Philosophi, D. Thomæ, aliorumque opinio, inde vel maximè probantium necessitatem, & existentiam eorundem Angelorum. Ab eo autem motu pendent corpora sublunaria, quoad omnes suas actiones, & passionem. Ergo neque corpora sublunaria habent existentiam vllam, aut legem sibi intrinsecam operandi, vel non operandi, & sic, vel aliter operandi; sed ad omnia indifferentem se habent. Ergo in tota natura saltem sensibili nihil est, quo, tanquam lege deuincta diuina prouidentia.

6. Leges determinatæ naturæ antecedentes vltimam determinationem liberam prouidentia Dei, neque aliquid creatum esse possunt, neque aliquid increatum. Non aliquid increatum; Quia omnia prædicata necessaria Dei sunt æquè indifferentia ex se ad existentiam, & non existentiam omnium, & quarumlibet rerum creatarum, vt dictum est quæst. 20. actus verò liber vnicus tantum virtualiter intrinsecè indiuisibilis dari potest in Deo respectu vniuersalis dispositionis vniuersalis rerum creatarum, vt dictum est in quæst. præcedenti; ac proinde fieri non potest, vt vnus actus liber Dei habeat rationem legis determinantis ad alium actum liberum Dei. Nihil, igitur intrinsecè Deo est lex naturæ determinatiua

I pro